



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1561. usque ad annum 1562

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1771**

**VD18 90118596**

§. 50. Francisci Grimodeti propositiones damnatæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66624](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66624)

Sæcul. XVI.  
A.C. 1561.

Argent. loc.  
cit. p. 291.

§. L.

*Francisci Grimodeti propositiones  
damnatae.*

Die decima quinta evoluti Mensis Aprilis eadem Facultas sex damnabat propositiones, quæ ex quodam Francisci Grimodeti Regii apud Andegavenses Ordines Advocati scripto ad Regem directo decerptæ fuerant: ceterum de Andegavensibus hisce comitiis jam anno priori mentionem fecimus: ex his autem propositionibus prima erat hæc: *Ecclesiæ Concilium debet esse ex omnibus suis membris compositum, id est, cætus generalis omnium Christianorum, non autem duntaxat Episcoporum. Censura. Hæc propositio est falsa, & schismatica. II. Hæc quæstio pertinet ad Principes Christianos, Episcopos, & ad populum in generali. Altera hæc propositio eadem, qua prior, censura perstringitur. III. Veteres Reges, ac Principes Christiani consultum, ac necessarium censebant, totius Christianæ Reipublicæ Concilium indicere, quando per schismata, novasque opiniones Religio erat polluta, ac divisa. Hæc propositio declarabatur falsa, & schismatica. IV. In nostra Religione duce dantur sectæ, quarum prima est illorum, qui sub obedientia Ecclesiæ Romanæ degunt, altera eorum, qui se Evangelicos dicunt.*

Hæc

Hæc propositio, inquit Facultas, est hæretica, & impie imponit Religioni Christianæ. V. *Utraque hæc secta adeo numero deficit, ut dubium sit, quænam illarum sit magis numerosa.* Hæc propositio declaratur temeraria, & manifeste Hæreticis favens. VI. *Alterum Religionis caput consistit in Politia, & disciplina Sacerdotali, quam emendare, & si est corrupta, dirigere, atque in ordinem revocare est in Regum, & Principum Christianorum potestate.* Hæc propositio damnabatur tanquam falsa, schismatica, hæretica, tendensque ad Ecclesiasticæ potestatis everisionem.

Sæc. XVI.  
A. C 1561.

§. LI.

*Facultatis epistola ad Regem circa necessaria fidem conservandi media.*

Eadem Facultas die decima octava Argentorati Mensis Junii Galliarum Regi sexdecim proposuit articulos, quos contra novos Protestantium errores Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo quadragesimo quarto confecit, ac Gallice reddidit. Hosce articulos porrigebat Facultas unacum epistola ad Regem data circa magis opportuna Fidem Apostolicam in Regno conservandi media, atque in hisce literis

*Argentore l.c.*  
*p. 292. append tom. I.*  
*pag. 22.*